



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Septem Illustrium Virorum Poemata

Amstelodami, 1672

Ad Joannem Bonam Sancti Bernardi in Urbe Abbatem.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11215

Hanc auro foetam nunc Ille extendit ad Istrum ;
 Nunc ad Cretensem porrigit usque Thetin.
 Hac cæli recludit opes mortalibus ægris :
 Hac tonat : hac Superos ad pia bella trahit.
 Ne quòd Is inciderit in tempora dura timeto ,
 Molliet hæc Virtus durior ipsa Viri.
 Cui rerum imperium nostri miserata dedere
 Fata Ministerii præscia difficilis.
 Sic ubi Lernæâ caput extulit Hydra palude,
 Extulit Alcides magnus & ipse caput.
 Sic in spem Latiaæ Pæno crescente ruina
 Hannibale , in Patriæ crevit opem Fabius.
 Scilicet exercere cupit , non perdere gentes
 Juppiter , & sancto flectere corda metu.
 Qui nunc Pannoniam ferro populatur , & igni ,
 Ultimaque Europæ fata minatur Arabs ;
 Barbaries licet huc omnis confluerit armis ,
 Quique Tigrim , Tanais quique fluenta bibunt ;
 Nunc licet exultet successu læta secundo ,
 Terga dabit multis turpia vulneribus.
 Cæsar , & implicitus magnis pro Cæsare curis
 Solvet ALEXANDER plurima vota Deo ;
 Inter quæ vultu simulans malè gaudia Livor
 Cogetur cladem , damnaque flere sua.

A D

J O A N N E M B O N A M

Sancti Bernardi in Urbe Abbatem.

PAndit hiulca sinum Nemeæâ lampade tellus ,
 Et populos æstas pulverulenta coquit.

Acrior

Acrior at Latiis infedit collibus ardor,
 Quem stipula infelix, & gravis Auster alit.
 Squalet ager: nigris rarefcunt faltibus umbræ:
 Frons perit: herbam humor defert, herba pecus.
 Tybris aquas inopes Tyrrhena ad litora volvit:
 Vix cava Naiadum fufficit urna fiti.
 Fonte carent volucres, & ficco gutture ceffant:
 Thracia vix lacrimas, queis fleat, ales habet.
 Sera venit, leve fubfidium mortalibus ægris,
 Nox brevis, & sterili nube adoperta caput.
 Aurora interea, nullis comitantibus auris,
 Eöo tacitum profilit Oceano.
 Non ea fparfa leves Nabathæo rore capillos,
 Non ea Punicei veris onufta finum.
 Cetera quæ infuetos testantur figna calores,
 Prætereo: aret enim fons quoque Pierius.
 Arent languidulæ Parnaffi in vertice laurus:
 Unde facer nostro fluxit honos capiti.
 Quæris, quo ftudio traducam tempora? Dicam.
 Tu veniam dicto, Bona diferte, dabis.
 Nos, ubi fol medium curru quatit æthera anhelò,
 Et rabida exertat latius ora Leo;
 Fefsi animo, fudore graves, in tecta redimus.
 Excludit calidum ftorea laxa diem.
 Detractis tunicis prandemus. feria ludus
 Excipit, & curas defidiosa quies.
 Nunc terimus Latiis, nunc Vatibus otia Graiis,
 Pangere nunc prifcis auribus apta iuvat:
 Nunc & Aricinæ reminifci frigora filvæ,
 Fontefque, & liquidos, quæ fuit Alba, lacus.
 Alba caput Latii quondam, nunc diruta, rurfum eft,
 In Latium Ænæâ quod veniente fuit.

Sæpe ibi nostra levi modulata est carmen avena,
Gestaque ALEXANDRI Pieris ausa loqui.
Plausit ALEXANDRO Dryadum chorus omnis, & alti
Reddiderunt colles, concavaque antra sonum.
Finitimi interdum miscent jucunda sodales
Colloquia, & ludo liberiore jocos.
Quos inter quandoque pedem Bonvisius infert,
Nescius atque æstum Spinula ferre gravem.
Clarus uterque atavis, & Phœbo carus uterque,
Indole præstantes ingenioque Viri.
Interea fessis obrepit somnus ocellis,
Sertimus ad sonitum lenè cadentis aquæ,
Quam prece, dilectum Superis, è pumice sicco,
Nudipedem fama est eliciuisse senem.
Namque lares colimus sacros, quibus ante solebant
Pauperie læti vivere Nudipedes.
Artibus his lentè properantes fallimus horas,
Et stulti fugimus quas querimur fugere.
Tu tamen instabili pennâ fugientis avarus
Temporis, heu nullam das animo requiem.
Nec te dura valetudo, monitusque medentûm
Flectere, non Domini justa querela potest.
Tantus amor doctas majorum evolvere chartas,
Noscendæque omnis te tenet historiæ.
Dum caput inquiris, summumque, ab origine prima
Romani in populos Præfulis imperium.
Quid vates doceant, quorum Deus ore locutus?
Quæ fuerint Patrum Cœtibus acta piis?
Quis, cum Relligio primis adolesceret annis,
Ritus, quæ vitæ regula, mosque foret?
Aurea quæ nostræ collata redarguit ætas
Christiadum luxus, degeneremque togam.

Ambitio malefuadaque opum fitis omnia perdunt,
Mortalesque vetant lumina tollere humo.
Has Erebo Pestes Nox cæca emisit in auras,
Cum vititam ramis carperet Eva dapem.
Ilicet in vitium flecti, & jus temnere cepit,
Nullius ante sibi conscia gens sceleris.
Sancta Fides, Pudor, & Pietas evanuit. At Mors
Tunc primùm terris intulit atra pedem.
Ex illo populos Discordia vertit, & Urbes,
Civilisque movet bella cruenta furor.
Nonne vides, ut in arma ruant miseræ undique gentes,
Cladibus & clades addere semper ament?
Bis Batavùm fractas adverfo Marte carinas
Anglia festivis urit inulta focis.
Nunc tamen in pugnam nova Trompius arma recudit,
Classe ferox juvenum nil metuente mori.
Martia non æquis confligit Iberia fatis,
Et Lusitanum sanguine merfit agrum.
Decolor Herculeas etiam nunc exit in undas,
Et caput illacrimans sæpe recondit Anas.
Non tamen absistent. è bellis bella renasci
Cernimus: & campi femina cædis habent.
Fessa malis cum Thrace iniit Germania pacem,
Quam credat nullum Thrax violare nefas.
Ferrum acuit Cimber: Venetus sub fasce laborat?
Sarmatia æternâ seditione furit.
Quæ tamen in se oculos trahit, in se vota Potentum,
Nubilis ut centum virgo petita procis.
Hos inter motus, atque hæc discrimina rerum,
Mitia fas nobis Palladis arma sequi.
Sed te Bernardi vestigia dia legentem,
Roma suis digito indicat hospitibus,

Et te consulit in dubiis, ambitque vicissim
 Egregium quisquis nomen in Urbe gerit.
 Riccius, ingenii pretium cui divitis auget
 Virgineus, sancta cum probitate, pudor.
 Vecchius haud cuiquam merito ac virtute secundus,
 Maximus ingenuâ qualibet arte valens.
 Nerlius & Sophiæ magnus Themidisque sacerdos;
 Et Cafanatta suæ gloria Parthenopes.
 Tuque Leo, cujus per cunctas didita gentes
 Fama, senescenti tempore major erit.
 InclYTE Vir, doctæ cum quo morientur Athenæ,
 Munera cui Reges invidiosa ferunt.
 Nam de aliis fileo, qui nostræ haud laudis egentes
 Virtutem celebrant, Bona, coluntque tuam.
 Quos inter Medis Heros jam notus, & Indis,
 Sfortia divino eminet ingenio.
 Sæpe & ALEXANDER, quem dantem jura procellis,
 Suspicit immoto Fama supercilio;
 Cujus nutibus acclinant capita ardua Reges;
 Sæpe tuo curas subleuat alloquio.
 Sed me nota vocant jam munia. Plura licebit,
 Sistet ubi in viridi nos vetus Alba jugo.

A D

ALEXANDRUM VII. P. M.

Incunte Pontificatus anno undecimo.

Quæ rerum Domino multam dictura salutem,
 In Vaticanum tendere, Musa, paras;
 Si nescis, aditus duro custode tenentur,
 Stant vigiles Horæ, limine quæque suo.

H2